

Q.N. 533, 31.

X 23165 14

B. m.

II d  
247

# THESES RHETORICÆ

QUAS

FAVENTE DIVINO NUMINE  
JUSSU ET AUCTORITATE  
*SAPIENTISSIMI PHILOSOPHORUM*  
ORDINIS

PRO

VACANTE RHETORICES CATHEDRA

Ad Diem 24. Januarii, M D C C XLI.

IN AUDITORIO JURIDICO H. L. Q. S.  
DEFENDERE CONABITUR

JOHANNES BERNOULLI,

JOH. FIL. J. U. D.

RESPONDENTE

*VIRO JUVENE DOCTISSIMO ATQUE*  
*FLORENTISSIMO*

JOH. HENRICO BRUCKERO,

PHIL. CAND.



---

Typis, JOH. HENRICI DECKERI, Academiae Typogr.



2 16



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and paper texture.







# THESES RHETORICÆ

## I.

**D**efinitur communiter à Scholasticis *Rhetorica*, quod sit *ars bene dicendi*.

II. *Ista vero definitio indiget definitione altera, ut cognoscatur, quid intelligant per dicere.*

III. *Quamvis enim Pronunciatio referatur inter partes Rhetoricæ, dubio tamen omni caret, id, quod per dictionem intelligitur, non in simplici positum esse Pronunciatione, neque optimum Oratorem esse eum, qui verba optime pronunciat.*

IV. *Meo quidem iudicio per vocem dicere hic loci intelligendum est, cogitata nostra cum aliis quovis modo communicare.*

V. *Eritque adeo Ars bene dicendi, seu, Rhetorica, Ars docens nos animi sententiam cum aliis communicare, succincte luculente apteque ad persuadendum, id est, ad obtinendum eorum, quibuscum loquimur assensum, sive, ad efficiendum, ut nobiscum sentiant.*

VI. *Secundum hanc definitionem Rhetorica non solum commonstrabit, quomodo facienda sit Oratio oratoria, sed & docebit bene proponere quicquid dicimus, bene instituere, bene scribere &c.*

VII. *Per eandem definitionem non requiritur à Rhetore ut simul sit Orator. Qui aliquo linguæ defectu laborat,*



*per linguam  
 intellectus signa  
 quibus utitur  
 ad manifestanda  
 animi sententia  
 per linguam  
 autem  
 mathematicam  
 utitur a  
 signa quibus  
 utitur  
 mathematicam  
 quæ tales*

rat, imo mutus, nihilo fecius docere potest artem bene dicendi, quemadmodum videmus nonnunquam magistros in arte saltandi, vel canendi, artem suam cum successu exercere, licet ipsi claudicent, vel vocem habeant infuavem.

VIII. Quandoquidem Rhetorica est ars illa, quæ docet mentis conceptus aliis aperire tali modo, qui aptus sit ad efficiendum *ut nobiscum sentiant*, sequitur non esse officii Rhetoris, ut doceat uti captiosis sophermatibus, quo fidem faciamus rei, quam falsam credimus, vel de qua dubitamus, neque satis vituperandi sunt ii, qui omnem, qua pollent, eloquentiam in eo collocant, ut aliis persuadeant id, quod ipsis sibi non est persuasum.

IX. Linguarum alias aliis aptiores esse ad exprimendas ideas nostras vix quisquam negabit; ut si expressiones idearum in una lingua magis sint concisæ & nervosæ quam in altera, vel constructio verborum magis accommodata ad nostram cogitandi rationem.

X. Omnium autem linguarum huic fini vix ulla est magis idonea Mathematicorum lingua; quæ enim in hac lingua usurpantur ideas suas exprimendi formulæ sunt concisæ, perspicuæ atque ab omni ambiguitate liberæ.

XI. De methodo proponendi, quam Dispositionem vocant, quæque est *ordo secundum quem collocantur quæ sunt dicenda*, superfluum esse arbitror, tradere præcepta quibus sit inhærendum.

XII. Est enim hæc Methodus sæpe arbitraria, nonnunquam accommodanda orationis argumento, auditoribus (a), temporis, loco, imo moribus & consuetudini, quæ nec ubique, nec semper eadem est, breviter, pluribus

(a) *Semper ne ordinem collocandi, quem volumus, tenere possimus? Non sane, nam auditorum aures moderantur oratori prudenti & provido. Et quod respiciunt immutandum est. Cic. in Partic. Orat. n. 15.*



bus accommodanda est circumstantiis, quæ inutiles reddunt regulas præscribendas.

XIII. Hoc interim in genere affirmari potest, eum qui valet ingenio & bene cogitat nunquam non apte suam dispositurum esse orationem, modo ipsius argumentum probe teneat.

XIV. Proinde qui bene vult dicere, ante omnia bene cogitare discat necesse est.

XV. Apparet adeo, quantum Rhetorica indigeat Logices subsidio.

XVI. Cum optima sit Logica Methodus mathematica, quippe, quæ ad convincendum est aptissima, merito præ aliis est adhibenda, eoque magis, quod nulla hæc methodus patitur sophismata.

XVII. Sequitur exinde, Mathematicum cæteris paribus Rhetori omnium maxime esse idoneum.

XVIII. Figuratae illæ locutiones, quæ Tropi dicuntur, non sunt de essentia Rhetorices.

XIX. Si enim linguæ forent satis locupletes, ut omnes ideæ nostræ exprimi possent verbis propriis, ipsis ideis exacte respondentibus, nunquam opus fuisset introducere locutiones tropicas, quæ nimirum ideo tantum fuerunt introductæ, ut propriarum mentis nostræ conceptus exprimendi formularum defectus sarciretur. (a)

XX. Ut manifestum fiat, tropos neque necessarios esse, neque elegantes quidem absolute atque in se spectatos, verum tantum respectu habito ad defectum & idioma linguæ ejus quam loquimur, consideretur solum, plurimas esse locutiones tropicas hac vel illa lingua receptas, atque

(a) Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit inopia coacta primo & angustiis, post autem delectatio jucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi cepta est ad ornatum etiam corporis & dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopie causa, frequentata delectationis Cic. 3. de Orat. n. 156.

*quod non confu-  
dendi est  
methodus  
thematica  
mathematicum  
Hylæ per dicitur  
quod quod  
non omnibus  
est aibus  
convenit, et  
cum hæc  
dicitur genus  
fruguet  
planum  
quod requirit  
ad per se dicitur  
veritate theore  
hæc.*



pro elegantibus habitas, quæ alia lingua reddi non possunt & si ad verbum transferrentur, obscura inde oreretur verborum congeries.

XXI. Hæc, quæ in linguis observatur, diversitas proficiscitur, quantum quidem judico, ab ipsa diversitate ingenii, diversaque cogitandi ratione nationum, quæ linguis istis utuntur. Referrî huc possunt verba Quintiliani  
 „ Lib. XII. Cap. 10. „ Antiqua quidem, inquit, illa divisio inter Asianos atque Atticos fuit; cum hi pressi & integri, contra inflati illi & inanes haberentur; & in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset; quod quidam, quorum & Santra est, hoc putant accidisse, quod paulatim sermone græco in proximas Asiæ Civitates influente, nondum satis periti loquendi facundiam concupierint; ideoque ea quæ proprie signari potuerant, circuitu cœperint enunciare ac deinde in eo perseveraverint. *Mibi autem orationis differentiam fecisse & dicentium & audientium nature videntur*; quod Attici limati quidem & emuncti nihil inane & redundans ferebant; Asiatica gens tumidior alioqui & jactantior vaniore etiam dicendi gloria inflata est.

XXII. Hanc autem cogitandi rationem duarum nationum eo magis diversam esse puto, quo rarius nationibus illis intercedit commercium; neque ullus dubito, si quis esset populus, qui cum nulla alia gente ad hunc usque diem commercium fovisset illum; quin ejusmodi populi non solum loquendi sed & cogitandi formæ, seu sententiæ, nostrate aliqua lingua exprimi vix possent.

XXIII. Majori forsitan cum fructu docebit Rhetor abstinere à tropicis loquendi formis, quam iisdem uti.

XXIV. Inficiandum quidem non est, figuras, si sint appositæ sciteque selectæ, haud exiguo esse orationi orna-



namento; atqui nec minus verum est, easdem sine discrimine usurpatas magis adhuc orationem deformare.

XXV. Ast orationem figuratis locutionibus deformare, quam ornare, longe est facilius multoque frequentius; plurimi sunt modi utendi illis intempestive, apposite utendi unicus.

XXVI. Ut evidentius ante oculos ponantur quæ modo diximus, examinetur, verbi gratia, Ironia, qui certe tropus, si quis alius, orationem mirifice nitidat, modo dextere tractetur; cognoscetur enim, quam varie ille adhiberi possit inepte; veluti, respectu eorum ad quos sermo dirigitur, vel materiæ quæ tractatur, vel ipsius Ironiæ subjecti aliarumque bene multarum circumstantiarum.

XXVII. Sed & ineptæ sunt Ironiæ quamplurimæ in se consideratæ, abstrahendo ab omnibus circumstantiis. Quid enim orationem magis vitiat Ironia insulsa atque insipida? verum nec minus indecens est Ironia amara, quæ insultationem sapit contumeliamve. Res est difficilis Ironia quæ neque fatua sit, neque mordax.

XXVIII. En difficultas alia, cui tropicæ loquendi formæ sunt obnoxia. Quoniam in huiusmodi locutionibus receditur à propria & genuina verborum significatione, facile, nisi caute adhibeantur, nascuntur inde ambiguitates ansaque præbetur interpretationum à mente dicentis maxime alienarum.

XXIX. Nam, ut iterum Ironiæ exemplo utar, qui Ironice loquuntur longe aliud dicunt, quam intellectum volunt; ut autem stylus ironicus scite tractetur imitari debet stylum naturalem; quod si itaque non ingeniose Ironiæ subjectum eligatur, tale scilicet, cujus ipsa natura Ironiam subesse manifestet, communiter evenit, ut in errorem inducatur Auditor vel Lector, nempe ad verbum accipiens, quæ



quæ ironice fuere dicta ; hocque incommodi in scriptis frequentius occurrit , quam in oratione ore prolata , Orator quippe gestu vocisque modificatione Ironiam aperire potest.

XXX. Clarum hujusrei exemplum nobis præbet libellus , quem de Educatione Liberorum conscripsit Vir quidam de Republica litteraria optime meritus , artis præsertim scribendi alias peritissimus . Libellus iste continua est Ironia , Auctor vero nimis stricte secutus præceptum illud , *quod stylus ironicus imitari debeat stylum naturalem* , pro materia dicendi quæ forsan tali Ironiæ non erat accommodata , hoc præsertim quo vivimus sæculo , non sine ægritudine expertus est veritatem ejus quod in thesi præcedenti posuimus ; plurimi enim extiterunt qui secundum sensum litteralem interpretati sunt , quod ab Auctore per Ironiam scriptum fuerat.

XXXI. Hæc cum ita sint ; tropicæ , scilicet , loquendi formæ cum sint adeo lubricæ tractatuque periculosæ , vix quemquam a me discrepaturum puto in eo quod supra , th. 23. asserui , *Rhetorem majori cum fructu docturum abstinere a tropicis loquendi formis , quam iisdem uti* ; hæc autem veritas illustrior adhuc evadet consideranti , unumquemque hominem hujuscemodi loquendi formas usurpare per se & naturaliter , licet a nullo edoctum Magistro , imo non cogitantem & nescium se figurate loqui ; verum in iis sunt bonæ malis mixtæ ; si quis itaque discat sermonem suum ab ineptis purgare tropis , eo ipso elegantes retinere iisque opportune uti discet.

F I N I S .





Q.N. 533, 21.

X23A65A4

B.m



# THESES RHETORICÆ

QUAS

FAVENTE DIVINO NUMINE

JUSSU ET AUCTORITATE

SAPIENTISSIMI PHILOSOPHORUM

ORDINIS

PRO

VACANTE RHETORICES CATHEDRA

Ad Diem 24. Januarii, M D C C XLI.

IN AUDITORIO JURIDICO H. L. Q. S.

DEFENDERE CONABITUR

## JOHANNES BERNOULLI,

JOH. FIL. J. U. D.

RESPONDENTE

*VIRO JUVENE DOCTISSIMO ATQUE*

*FLORENTISSIMO*

## JOH. HENRICO BRUCKERO,

PHIL. CAND.



Typis, JOH. HENRICI DECKERI, Academiae Typogr.



2 16